

quam initio capitis posuimus, et quam nunc  
verbis apostolicis reperimus.

*Quod in præsentī est momentaneum et leve  
tribulationis nostræ, supra modum in sublimi-  
tate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis,*

*non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed  
quæ non videntur: quæ enim videntur, tempo-  
ralia sunt, quæ non videntur, æterna sunt.  
(II Cor. IV.)*

## TRACTATUS

DE COGNITIONE DEI

## PRÆFATIO

Prodit in lucem hocce demum tempore qui per tria fere secula delituerat tractatus de cognitione Dei; cujus auctor venerabilis Dei servus Robertus Bellarminus non immerito a collega suo Cardinali Cesare Baronio in Ecclesiasticis annalibus dictus est « vir doctissimus ac religiosissimus, virtutum meritis toti orbi conspicuus. »

Et hic quidem, cum in collegio Romano, pro societatis Jesu more, adhortationes domesticas frequentes, haberet, quibus auditores suos in omnem virtutis partem flectebat, eas solebat, ut plurimum, scripto mandare; quæ causa fuit cur etiamnum exstent ipsius Bellarmini manu exarati ii sermones quibus, cum de cognitione Dei loqueretur, ad ejus amorem animos omnium incitaret; qui postea in meliorem ordinem compositi ita in unum corpus coaluerunt ut tractatus speciem præ se ferrent. Quod dum Robertus ipse præstitit, id egit quod jam antea; constat enim eum cura non dissimili, quæ de fidei documentis laicis adjutoribus tradebat, ea in codicem retulisse, unde in eam perfectionem opus eduxit, ut ex eo communes christianæ disciplinæ institutiones formaret, quæ, jubente ipso summo pontifice Clemente VIII, typis postea mandatæ sunt.

Non tamen idcirco dicendus esset Bellarminus tractatum nunc de Deo asceticum prælo paravisse, quin secundis eum curis reservaret. Nihilominus visum est e re Christiana fore si opus ejus e tenebris erueretur. Valet quippe in Bellarmino quod de Molano Baronius aiebat « se tanti viri de Ecclesia Dei et veritate Catholica optime meriti nec brevem schedulam deperire æquanimiter pati. »

Neque diutius homines pietati addicti libello tam utili fraudandi erant, in quo nempe magna ipsis ubertas et quasi silva meditandi suppeteret. Sane qui Bellarmino duce cum essentiæ divinæ, tum ejus attributorum latitudinem, longitudinem, altitudinem et profunditatem sincero mentis affectu fuerit contemplatus, is jam peritura hujus mundi bona sectari aut extra Deum, unicum hominis bonum, animæ suæ querere requiem non poterit. Sed ea sibi Psaltæ regii verba usurpabit: *Quid mihi est in caelo et a te quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum?* Quod ut nobis omnibus feliciter contingat, pie lector, Deum ipsum precare et vale.